



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. Quod sit munus speciei impressæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

quid à se distinctum, quia per semetipsam essentialiter est in loco in actu secundo omni actualitate, hoc autem non habet Deus per se ipsum in ordine ad actuale concursum in visionem, ut ex dictis constat.

114 Obiicies Quarto: Si est possibilis qualitas naturā suā ordinata ad faciendum miraculum, iam illud erit & non erit miraculum. Erit, ut supponitur: non erit, quia est iuxta naturam illius qualitatis. Miror hic impigisse Auctores aliquos. Nonne lumen gloriæ connaturaliter efficit visionem beatam, quæ absolute est supernaturalis? Idem est de aliis habiibus supernaturalibus, qui & connaturaliter oriuntur à gratiā, & connaturaliter efficiunt actus supernaturales, & tamen inde nulla contradictoria sequuntur. Ratio à priori est, quia, ut aliquid sit supernaturale, non sufficit si sit supra naturam illius accidentis (ut supra diximus) nam accidens non constituit propriam naturam; requiritur ergo, ut sit supra exigentiam substantiæ cui inest. Hoc autem non habet illa visio beata producta à specie impressa: licet enim esset iuxta naturam speciei, non tamen iuxta exigentiam animæ, nec iuxta exigentiam Dei, loco cuius ista species producit, nec tandem iuxta exigentiam ipsius visionis, quæ connaturalius oritur à Deo: his autem tribus dicitur illa species supernaturalis, non verò sibi ipsi.

115 Tandem obiicies: Visio petit à Deo fieri, ergo non potest esse qualitas naturā suā concurrens loco Dei; sicut, quia gratia petit naturā suā à solo Deo fieri, non potest dari causā creata naturaliter productiua gratiæ. Nego consequentiam, & in gratiā nego eam esse rationem, sed alias diuersas, quas reddunt Theologi dum de hoc puncto disputant; quia scilicet nullus potest conferre amicitiam, nisi ipse amicus, &c. quæ si non sit efficax, dicendum est, posse esse qualitatem productiuam naturā suā gratiæ.

Aduerte, eam speciem impressam non substituendam loco Dei in ordine ad terminandam visionem, quia hoc non præstat species, ut dicam infra contra Thomistas; sed solum, ut produceret visionem. Præterea, Deum mediā illā non vniendum physice intellectui, quia neque hoc præstatur à specie: neque enim cognoscens brutum vnitur physice cum illo per speciem bruti, ut dicam infra; solum ergo præstaret concursum efficientem. Vniatur autem intellectui creato, quia, cum esset accidens, deberet habere subiectum, & indistans ab ipso Angelo vel homine vidente Deum, ut hic possit operari cum eā specie; nullum autem subiectum potest hæc duo melius habere, quam ipse homo & Angelus, vel eorum intellectus. Et hæc de quæstione hac Theologica sufficiant.

SECTIO III.

Quod sit munus Speciei impressæ.

116 PROBATA speciei impressæ existentia, ad eius officium essentiamque dignoscendam accedendum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Species impressa nec est eiusdem speciei cum obiecto, nec terminat visionem.

FINXERVNT ergo nonnulli, speciem impressam esse eiusdem speciei cum obiecto, imò esse ipsammet quidditatem obiecti: unde intulerunt, speciem intellectualem, quā ab Angelo cognoscitur homo, esse formalissimè hominem, hinc rursus deduxere, repugnare speciem impressam creatam Dei, quia nulla creatura potest esse eiusdem speciei atomæ cum Deo.

Secundò docent, ex obiecto cognito, & ex cognoscente fieri vnum per se magis propriè, quam ex materiā & formā; unde colligunt, cognoscen-tem fieri verè & realiter ipsum obiectum quod cognoscit, quia species impressa, quæ recipitur in cognoscente, est ipsa essentia & quidditas obiecti.

Tertiò tandem addidère, hanc conuenientiam speciei cum obiecto non necessariè futuram formalem, sed sufficere eminentialem.

Inprimis nota summam inconsequentiam: si enim species necessariò est eiusdem atomæ speciei cū obiecto, imò ipsa quidditas obiecti; ergo conuenientia non debet esse eminentialis, sed necessariò formalis, quia prædicatū formale & eminentiale non sunt eiusdem speciei atomæ, & multò minùs vnum est ipsa quidditas alterius; sed hoc addidère, ne Deum facerent formaliter asinum, quandoquidem perfectissimè illum cognoscit.

Deinde, quod docent primo loco, euidenter lumini naturæ repugnat. Si enim species impressa est eiusdem speciei atomæ cum obiecto, & illius essentia & quidditas; ergo in Angeli intellectu erit formalissimè asinus, bos, porcus, &c. nam habet perfectissimas species impressas de illis. Sed nec mirum si ibi sint tales bestię, quandoquidem in horum sententiā Angelus etiam est stabulum: dum enim cognoscit stabulū, fit formalissimè vnum cum illo magis propriè, quam resulter vnum ex materiā & formā. Hæc non tantum Philosopho, sed homine etiam indigna sunt. Ratione euidenti inde redarguuntur: nam homo potest manere, licet non cognoscatur ab Angelo, & potest cognosci, licet non sit; ergo cognitio non est quidditas hominis, nihil enim potest manere sine suā quidditate. Quod si confugiant ad similitudinem eminentialem, facile impugnabuntur: nam Angelus quidditatiuè & perfectè per species impressas cognoscit creaturas existentes, & alios Angelos, imò in Thomistarum sententiā aliqui Angeli per vnam speciem impressam omnes creaturas cognoscunt. Quis ergo dicet, illam speciem impressam esse substantiam eminenter continentem omnes substantias creatas, omnes Angelos, & omnibus illis simul sumptis perfectiorem? Certè illa species deberet esse alius Angelus nobilior multo, capax

discurrendi, amandi Deum, illum videndi, mouendi corpora localiter, & alios Angelos, quandoquidem eminenter continet omnes has perfectiones. Imò & in diabolo deberet esse talis substantia, quia & ipse habet cognitionem de obiectis creatis: & cum etiam gratiam supernaturalem cognoscat, deberet haberet aliquid conti-

SUBSECTIO SECVNDA.

Respondetur cuidam experientia.

nens eminenter perfectionem gratiæ habitualis, & per illam perfectiori adhuc modo reddi deberet Deo gratus, quàm nos reddimur per ipsam gratiam, quæ est, in horum sententiâ, imperfectior, quàm cognitio de ipsâ gratiâ: hoc autem hæreticum est. Equivocationi occasionem dedit his Auctoribus quidam modus loquendi male intellectus, scilicet, obiectum esse in cognoscere, & ex cognoscere & obiecto fieri unum, quæ solum intentionaliter & representatiue intelligenda sunt, eo modo quo solet imago aliqua dici ipsum exemplar, quo nihil aliud intenditur, quàm per ipsam representari exemplar; quod verum est, siue species sit quidditatiua, siue comprehensua, quia hæc solum facit exactam representationem obiecti, ex quo non arguitur æqualis cum eo perfectio. Thomistæ autem hunc metaphorice modum loquendi in omni physico rigore explicare voluerunt.

120 Secundo alij, tantillum moderantes præcedentem sententiam, dixerunt, speciem impressam esse quoddam idolum imaginemve obiecti, in quâ prius cognita obiectum cognoscitur. Non video, quò hæc sententiâ nisi possit fundameto, nisi experientia speculi in quo videtur v.g. facies hominis: ibi enim non est vera hominis facies, sed solum eius species; ergo hæc videtur, & in ipsâ prius cognita obiectum. Sed contra, quia, si hæc experientia quidquam probaret, illud sanè, solas species videri: qui enim præcisè intueretur speculum, non videt duas facies, vnam in aliâ prius cognita, sed tantum vnicam; ergo solum vnam habet obiectum: sed hoc non est, per te, vera facies hominis, quia hæc non est in speculo; ergo solum videntur species. Contra Secundo, quia si, quod videtur in speculo, sunt species, & non obiectum ipsum, sanè illæ species essent eiusdem rationis & speciei cum ipso obiecto: color enim & figura in speculo apparetis eiusdem est omnino rationis, proutque similis vero hominis coloris & figuræ; ergo species coloris sunt color.

121 Quam verò id sit ridiculum & improbabile, constat ex dictis contra Auctores primos: nam homo habens in oculo species calis, leonis & iumentis, verè haberet in oculo calum omnino simile ei quod intueretur, haberet item & verum leonem, & verum iumentum in oculis, saltem quoad externam formam. Ad experientiam ergo ex sæpè supra dictis respondeo, tunc in speculo videri veram hominis faciem, non quæ ibi existat, sed quæ representatur ac si ibi esset, quia species visus eam habent naturam, ut ad eam partem representent obiectum, à quâ incipiunt produci vel reflecti: & quia ex speculo reflectuntur, ideo veram hominis faciem quasi in speculo existentem representant. Vnde, ubi non dantur corpora capacia reflexionis, hæc species solum representent obiectum in eâ parte in quâ verè est. Adde, si ipsæ species viderentur in speculo, eas videndas in ipsâ superficie speculi, non post illud; quia in illâ existunt, non post speculum: ergo non sunt species ibi existentes, quæ ibi videntur, sed homo ipse videtur, representatur tamen alibi quàm sit, propter paulò antè dicta.

Ea est: quando enim per leue foramen lux ingreditur in obscurum cubile, ingreditur etiam species auium, turrium, hominum, domorum, horrosum, & eorum omnium quæ à foramine illo videri possunt; & si excipiantur in chartâ, apparet ibi & forma, & figura, & color ipse: atqui intra cubiculum nec sunt aues, nec homines ipsi, sed solum eorum species, ergo hæc solæ videntur. Video, ob hanc experientiam nonnullos conuictos, ad credendum, ipsas species videri. Sed miror fidem tam leui innixum fundamento. Respondeo ergo Primo, hanc experientiam aliquando contingere, quando lux reflecta ex aliquo corpore, vel radij ipsi solares per foramen ingrediuntur, tunc autem intra cubiculum non videntur aues neque homines, eorumve species, sed illorum vmbra: dum enim illa corpora interponuntur inter ipsum foramen & radios Solis, vel lucis reflectentis, impediunt ingressum per illud foramen, ideoque causant intra cubile vmbra sui, quæ apparet, ac si essent ipsi homines & aues propter similitudinem vmbra in figurâ cum corpore cuius est, quod obseruauit sæpè. Ecce ergo in hoc casu vmbra sola intus apparet, non species aut obiecta ipsa.

Secundo respondeo, quando non solum vmbra, sed colores ipsi interius videntur, id proprie, non quia ipsæ species videantur, sed quia reflectuntur ibi species, ad modum quo in speculo. Et sicut ob experientiam speculi, non mouetur isti, ad dicendum, species videri, ita nec debuisse moueri propter hanc de foramine, sunt enim species naturæ suæ tales, ut ibi obiectam representent vnde reflectuntur, quod longè aliud est, quàm representare seipsas. Porro non videri ibi ipsas species, ostendo manifestè Primo: si enim viderentur solæ species in eâ chartâ existentes, quæ loquidem in quolibet chartæ puncto sunt species de toto ferè obiecto, eò quod ex quolibet chartæ puncto potest linea recta duci ad quancumque ferè partem obiecti; deberent in quolibet puncto videri species de omnibus partibus obiecti, quod est contra experientiam.

Respondebis fortè, eandem esse difficultatem, siue videantur species, siue videatur obiectum: si enim in quolibet parte sunt species de toto obiecto, ergo in quolibet parte chartæ debet videri totum obiectum, sicut paulò antè arguebam, in quolibet parte debere videri species de toto obiecto. Ex huius solutionis impugnatione clariorem meæ conclusionis probationem intero. Dico ergo, disparitatem manifestam esse: cum enim species chartæ non se, sed suum obiectum representent in meâ sententiâ (sicut vna pars obiecti non est ubi est alia, sed diuersam habeant positionem & locum, ita etiam in chartâ, non in quolibet puncto, totum obiectum videntur) sed cum eâ formâ quam in se habet; ac si solæ species viderentur, & illæ se, non suum obiectum representarent, quandoquidem eodem modo in quolibet puncto chartæ sunt species de omnibus partibus obiecti, neque ratio vlla esset cur vllam figuram ostenderent, deberent omnes

necessariò in quolibet puncto videri. Ergo si non videntur, idè est, quia illa non se, sed obiectum habens distinctas partes situs, representant. quod idem argumentum est, quando recta video immediate hominem. Si enim non viderem hominem, sed species illius in aëre existentes, cum in qualibet parte sint species de toto homine penetratæ inter se, quia ex qualibet parte totus homo videri potest, proculdubio totum hominem viderem, imò in quolibet puncto viderem penetratas species capitis, colli, manuum, &c.

Secundò probò, non esse species eas quæ ibi videntur: nam species coloris rubri non sunt rubrae formaliter, nec coloris nigri sunt nigrae formaliter, aliàs, cum ex obiecto per aërem diffundantur tales species, deberet totus aër esse ruber, niger, flauus, &c: quod est contra apertam experientiam. atqui in ea charta videntur formalissimi colores, ergo non sunt species quæ videntur, sed colores ipsi, speciebus, quæ inde reflectuntur, eam visionem causantibus.

126 Tertiò probò euidenter, species illas non se, sed suum obiectum representare; nam representant distantiam obiectorum inter se, ergo non se, quæ omnes in eadem superficie chartæ existunt, sed suum representant obiectum. Consequentia est bona, etiam ex aduersariorum mente, qui inde videntur velle probare, species ipsas videri, non verò obiectum, quia non videtur obiectum procul intra chartam. Probo ergo Antecedens: quia si quis per tubum eam chartam aspiciat, quia tunc omnia apparent recta prout sunt in se (sine tubo enim ostenduntur inuersa) videbit distinctissimè obiecta illa, vnum post aliud, prout sunt in se; quod ita euidens est, vt vnus ex his, qui contrarium sentiunt, dum ei hanc observationem dicerem, ac ostenderem, debuerit fateri, omnino videri distantias obiectorum inter se; & res est tam certa, vt sola egeat experientia in incredulo. 127 Secundò idem iptum ostendo, quia si quis accedens propè valde ad chartam, eamque mouens, diligentius intueatur, manifestè videbit, ea obiecta apparere post chartam; & dum chartam mouet, novos omnes & chartæ maculas apparere multò viciniore oculo, & quasi obiecta illa mouerentur: atqui species illæ non sunt intra chartam, sed in primâ superficie, ergo non se representant, sed suum obiectum, cum proportionè aliquâ ad visionem in speculo. Cur autem non represententur tam procul retrò quàm sit in se obiectum, dicam paulò post; & est aliunde difficultas omnibus communis.

128 Quartò & tandem idem probò apertè, quia species coloris non sunt propriè colores. Vt enim ipsi aduersarij dicunt, oportuit oculum carere colore omni, vt possit obiecta videre: si enim esset ruber, omnia ei rubra apparerent, violacea, si violaceus, flaua, si flauus; ergo multò minùs posset simul & semel in pupillâ diuersos habere colores, album, nigrum, flauum, quin in se confunderentur, & vnus immutaret alterum: idem enim damnum est, siue oculus habeat à se aliquem colorem, siue ex accidenti in illo recipiatur in ordine ad ingrediendum. Confirmo hoc idem ex aduersariorum doctrinâ: illi enim dicunt, quando per vitrum intrat aliquis color, facit postea vt totus aër appareat coloratus; ita species, quæ sunt propriè colores, faciunt vt obiectum appareat

129 eius coloris. A longè tamen ex hoc exemplo argumentor contra hos Auctores: Si color ille, qui intrat per vitrum, non solum illud immutat, sed & totum aërem facit apparere eiusdem coloris, quomodo species tot colorum, si omnes sint colores formaliter, non turbabunt visum? Et quandoquidem omnes sint in eadem pupillâ vbi fit visio, non faciet color niger vt niuis albedo tantillum nigrescat: & quomodo aureus color non illuminabit nigredinem Æthiopis? Constat autem simul & semel eosdem colores, & inter se contrarios, ante oculos existentes, videri ita distinctè & clarè, vt nullus alteri noceat, nec minùs alba nix appareat quia ante se habet pannum nigrum, quàm si non haberet, imò magis alba: ergo est impossibile, vt illæ species existentes simul in oculo in eadem parte sint formaliter albæ, & nigrae; si enim ita essent, necessariò vna alteram deberet aliquantulum saltem immutare, mediumque turbare. Ergo cum ea, quæ in ea charta videntur, sint formalissimi colores, non possunt esse ipsæ species, sed necessariò debent esse ipsum obiectum per species inde reflectentes representatum.

130 Possent fortè hi respondere huic & præcedenti experientiæ, eas species esse quidem colores formaliter, magis tamen intentionales, ideoque non causare eam turbationem neque in aëre, neque in oculis. Sed hæc solutio solum verba continet, non rem. Quid enim est, esse magis intentionales? Si enim sunt veri colores, & tam dependentes à subiecto materiali quàm alij, erunt tam materiales quàm illi. quod autem recipiantur in oculo, non propterea sunt minùs materiales. Deinde, pupillæ inherens color non turbat visionem quia materialis, sed propter similitudinem physicam cum aliis, idè rubedo omnia faciet apparere rubra, & nigredo nigra, vt patet in oculariis quæ habent aliquem colorem: atqui ea similitudo physica speciei albæ cum albedine quod colore eadem est, siue sit magis aut minùs materialis, aut magis intentionalis ea albedo quàm species, siue è contrario; ergo eodem modo immutabit potentiam, & faciet, vt omnia appareant eiusdem coloris.

131 Secundò eam solutionem impugno: nam, licet sit magis intentionalis, ideoque non ita immutetur ab ea specie aër & oculus, quàm si iste alius color produceretur, ac non immutandum saltem aliquantulum, nec ostendunt, nec probabiliter possunt dicere. Quid enim accipit lux à subtili ferico per quod transiit? & tamen totus aër apparet ruber. Quid ergo fieret in exigua pupillâ, confluentibus ad eam duorum aut trium miliarium albedinibus ab albedine visâ? quomodo tanta albedo non turbaret exiguum punctum atramenti propositi, & non faceret illud apparere album, etiamsi illa albedo non esset tam crassa sicut nostra? Idem est de colore viridi, & tamen tantum abest ab hac turbatione, vt potius faciat videri melius atramentum; ergo non potest dici, in pupillâ esse formaliter colores, etiamsi eos facias magis intentionales; ergo nec species ipsas videri in ea charta, quia videntur ibi formaliter colores.

SUBSECTIO TERTIA.

Obiectiones aliquæ ex prædictâ experientia solutæ.

¹³² **S**ED obieciens Primò: Si species illæ non se, sed suum obiectum repræsentarent, deberent ostendere obiectum procul intra chartam iuxta distantiam unde veniunt, sicut in speculo ostenditur tam procul intra speculum, quam sit obiectum distans à parte antè; ergo non suum obiectum, sed seipsas in chartâ existentes repræsentant. Hoc argumentum solui numero 127. & pro me, contrarium assumendo principium, illo usus sum. Nunc addo, etiam si nullo modo vlla distantia repræsentaretur, adhuc non obesse meæ sententiæ: dico enim, reflexionem specierum esse diuersam iuxta diuersitatem corporum in quibus sit, & distantiam obiecti. Quia enim in aliquibus fit valdè perfectâ, idè ibi species repræsentant perfectè colores ipsos, & obiecti distantiam, ut in speculis bonis contingit; in aliis verò, quia non ita perfectè, ostenditur aliquando ipsum obiectum latius & longius quam in se sit: & idem est quoad distantiam, ostenditur enim magis vel minus distans. Quia ergo in illâ chartâ ea reuerberatio est admodum imperfecta, sicut ipsos etiam colores repræsentat valdè imperfectè, etiam distantiam valdè imperfectè repræsentat. Sic aliquando in laminâ aurâ vel argenteâ fit reflexio fenestraz longè admodum existens: repræsentatur autem in illâ laminâ quasi esset in superficie illius, nec ibi ostenditur tota distantia obiecti.

¹³³ Obieciens Secundò: Illæ species non sunt in chartâ, sed in aëre, nam etiam si charta moueatur, immotæ manent species; ergo ibi non fit reflexio specierum, sed immediate ibi videntur. Respondet Primò, negando Antecedens, ut constat ex tertio argumento pro me numero 127. factò. Probatio allata nulla est: nam etiam si speculum in gyrum agatur, semper apparet facies immota, & tamen inde non licet inferre, non fieri in eo reflexionem; ratio est, quia in istis qualitatibus, quæ in instanti producuntur, qualis est lux & species colorum, etsi mutetur subiectum, dummodò aliud simile succedat, producitur alia qualitas ita similis priori, ut homo differentiam percipere non possit, ut apparet in radiis solaribus flante vento. Secundò respondeo, quidquid sit de subiecto earum specierum, ab omnibus debere admitti, ibi esse reflexionem, illæ enim species in aëre saltem videntur; ergo debent inde remittere alias ad potentiam, quæ simul cum illâ efficiant eam visionem. Neque video, quo modo hinc magis probetur, non videri obiectum quam species ipsas. quod enim tu dicis de speciebus accidentibus ut seipsas repræsentent, dico ego non ut se, sed ut suum obiectum potentia ostendant.

¹³⁴ Hinc etiam facile solues aliud argumentum ex eadem experientia ab aliquibus Mathematicis desumptum, qui putant, se inde euicisse clarissimè intentum. Arguunt ergo sic: In prædicto casu fit ex chartâ reflexio ad quamcumque partem, videntur enim species illæ siue lineâ rectâ, siue à sinistris, siue à dextris: si autem esset reflexio sicut in speculo (specularem eam vocemus) non fieret nisi ex vna parte, ergo ibi non videtur ob-

iectum per reflexionem specularem, sed species ipsæ existentes in chartâ. Alij verò Mathematici, qui nobiscum negant species videri in se, conantur ex principiis Mathematicis assignare hanc disparitatem, & ostendere, quomodo illæ species possint ubique videri, licet suum obiectum repræsentent.

Ego non possum non fateri, esse consideratione dignum, cur in eo casu reflexio illa fiat ad omnia latera, quod ego statim explicabo. Verum simul non possum non mirari, hoc argumentum fieri ad probandum species videri. Cum enim inter hos & me non sit in hoc dissidium, quod species illæ debent ad meos oculos venire, ut ego possum efficere visionem, siue hanc terminet species, siue obiectum cuius est illa species, tota autem difficultas ab his allata consistit in explicando modo, quo possint per reflexionem illæ species venire ad oculum: quomodo hinc isti quidquam possint inferre de termino repræsentato per illas species?

Confirmo & declaro: Tota hæc difficultas, quam hi ponunt, est antecedens visionem ipsam; videntur enim non posse venire species ad omnes partes, quia reflexio solum habet vnam lineam rectam: at inter nos non est dissidium de his quæ antecedunt visionem, & de causis illius, sed ad quid terminetur, seu quid videat ea visio; ergo hoc argumentum non est magis contra me, quam contra te. Confirmo Secundò: Tu & ego debemus ponere species in oculo, quæ efficiant visionem, ergo quoad hoc ambo illis debemus querere viam quâ veniant; politis autem speciebus, ego dico, visionem factam ab illis repræsentare obiectum ipsum, non verò alias species quæ sunt in chartâ.

Confirmo tandem clarissimè: Species ex obiecto veniunt ad chartam; hoc ambo fatemur. Item illæ species ibi existentes sunt sufficienter applicatæ, habentque de facto omnes conditiones requisitas, ut in figuram circularem vel comicam producant alias species visque ad oculum; hoc etiam experientia docet, & fatemur ambo. Iam ergo inde euidenter sic infero: Ergo ex eo quod illa species existens in chartâ producat circulariter speciem, non inferitur, eam speciem productam repræsentare illam quæ est in chartâ, non autem obiectum. Probo euidenter hanc consequentiam: nam eò quod illæ species venientes ad oculum repræsentent obiectum A, vel repræsentent illas quæ sunt in chartâ, non requirunt diuersam viam ut veniant ad oculum, ergo si species in chartâ potuerunt producere alias repræsentatiuas sui, poterunt etiam ex hoc capite producere repræsentatiuas sui obiecti: nec excogitari potest ratio vlla, cur possint vnâ produci, alia non; æquum enim ex se est capax vtriusque. chartæ species sunt totæ in applicatæ, & in se continent vtrasque species, ergo non potest vllò modo ex eo, quod in toto meo sunt productæ aliquæ species, inferri, eas non esse de obiecto, sed de aliis existentibus in chartâ. Ergo ex hoc capite, quod species illæ veniant circulariter ad oculum, non inferitur vllò modo, eas non repræsentare obiectum, siue dicenda sit tunc reflexio, siue non.

Iam autem, cur inde eo modo redeant species, non verò ex speculo, fateor esse difficile; sed, ut dixi, vtrique sententiæ commune. Puraret forte aliquis,

SUBSECTIO QUARTA.

Duae alie sententiae reiectae.

aliquis in speculo, quia laeuigata, non omnes species quasi ad vnam tantum lineam confluere; in charta autem, quia non laeuigata, non ita labi species, sed, vt sic dicam, harere, & sic reproducere potest ea circulariter, sicut alia obiecta quae non reflectant. Quam solutionem vel inde confirmare posset quis, quod si ponatur charta laeuigata valde, non fiet ea reproductio specierum (vt experientia constat) quae alias fit in charta ordinaria; sicut etiam non fit in aliis corporibus laeuibus.

140 Hae tamen solutio sustineri nequaquam potest, supponit enim principium falsum. Quantumvis enim charta sit laeuigata, eodem modo apparet obiectum, ac si laeuigata non esset, vt expertus sum saepe. Imò in speculo etiam apparet, licet obscure, quia fit reflexio ex profunditate, quae non est ita clara. Secundò eam solutionem rejicio, quia si haec esset ratio, deberet saltem ad vnum latum fieri ea reflexio ex charta laeuigata, qui autem dant hanc solutionem, videntur supponere, tunc nullo modo fieri ad vllum latum. Ego non video aliam huius rei rationem, nisi in vni, quod in foramine illo ponitur, diuersam figuram reducere: sicut enim ea figura facit, vt inuertantur species, seu vt representent obiectum inuersum, ita facit vt producantur in charta cum tali extensione, vt rursus redire possint ad omnes angulos, seu circulariter.

141 Non desunt etiam, qui in omnibus casibus eandem semisphaericam admittant reflexionem, dicunt tamen non videri propter vehementiam aliorum obiectorum, & lucis, &c. Videri autem in cubiculo eo modo clauso, quia tunc nihil est quod magis occupet potentiam. Sed de hoc alij fusi, sufficit mihi ostendisse, difficultatem esse communem.

Tertia pro his experientia fit: quia cum lux transfunditur per velum rubei coloris, v. g. in pariete, apparet rubea, ergo idè, quia videntur species coloris rubei existentes in pariete. Ex dictis supra huic obiectioni respondendum est, eas species reflecti in pariete, ideoq; ibi representare colorem

142 vt in speculo, vel in tecthione. Ex dictis ergo concluditur Primò, speciem non esse similitudinem aut imaginem formalem obiecti; vt in speciebus quas Angeli habent de se, de quibus non potest dici, eas esse Angelos; neque quas habent homines, esse homines; ergo species non est formaliter eiusdem rationis cum obiecto. Concluditur Secundò, neque esse imaginem illius, in qua prius visum obiectum videatur. Si enim id esset, sanè illam experiremur: nos autem videmus solum directè & immediatè albedinem in hoc vel illo loco, tale autem idolum vel imaginem mediam non agnoscimus; ergo illa non videtur. Secundò, quia cognoscere vnum ex alio, est virtualis saltem discursus, qui omnino repugnat visui. Tertiò, quia species sunt obiecto imperfectiores, ergo non possunt esse medium, in quo prius cognitum obiectum intuituè & quidditatiuè cognoscatur; ergo species non sunt prius imago cognita, ducensque in cognitionem obiecti.

143 Deò Tertiò alij docent, speciem esse formalem similitudinem & imaginem obiecti, non quae prius cognoscatur, sed quae seipsa faciet obiectum cognosci, sicut communis sententia docet de ipsa cognitione. Tribuitur Capreolo in 3. dist. 14. quaest. 1. §. Dico secundo, quod duplex. Verum haec sententia tripliciter potest intelligi. Primò, vt species sit omnino similis, & eiusdem speciei cum obiecto; in quo sensu coincidit cum sententià immediatè antea impugnata, quia species Angeli non est Angelus, nec homo species hominis, imò, si species esset eiusdem speciei cum obiecto, non videretur obiectum distans, sed species ipsa existens in potentia, quia vnum obiectum non est representatiuum vibrationis obiecti sibi in specie similis, vt supra, dum egimus de speciebus auditus, ostendimus.

144 Secundò potest ea sententia intelligi, vt species, licet non sit omnino similis obiecto, & eiusdem rationis cum illo, habeat tamen aliquam similitudinem physicam cum illo. Verum licet in hoc sensu certa sit sententia haec, (nam species conueniunt cum obiecto saltem in ratione entis creati) hoc tamen non sufficit, vt sit illius representatio & imago; maiorem enim similitudinem habet equus cum homine, & tamen non est representatio, seu imago illius. Ratio est, quia representatio & imago physica alterius debet esse illi similis vel in figura, vt statua; vel in coloribus, & eorum dispositione, vt imagines depictae, vel in essentia, quia sunt eiusdem speciei: at species non est eiusdem speciei cum obiecto, vt dixi, neque habet figuram & colorem illius; ergo species, licet in ratione communi entis & accidentis habeat similitudinem cum obiecto, non tamen sufficientem vt possit esse representatio, & imago physica illius.

145 Tertiò potest ea sententia intelligi ita vt species non sit quidem representatio physica obiecti, vt ostensum est, sed intentionalis, quatenus est representatio expressa, seu cognitio illius; & in hoc sensu etiam est aperte falsa, Primò, quia obiecta producant per aërem species, non verò cognitiones, quae à solis potentijs cognoscitiuis producantur. Secundò, existente specie in potentia, si species esset cognitio, potentia esset necessariò actualiter cognoscens, quia haberet unitam sibi cognitionem, & consequenter intellectus semper esset in actuali cognitione omnium obiectorum quorum habet species. quod quis non videat falsum esse? Ergo species non est formalis representatio intentionalis obiecti; ergo nec imago illius: reijcienda ergo est haec Capreoli sententia.

146 Minus improbabiler, & magis communiter docetur ab aliquibus, speciem impressam esse principium determinans potentiam de se indifferentem ad plura obiecta, determinans inquam ad hoc potius quam ad illud videndum. Ex qua sententià consequenter inferitur, quod si potentia esset determinata ad vnum obiectum solum cognoscendum, nullatenus speciebus indigeret.

Sed

Sed impugno Primum hanc opinionem: quia positus in intellectu speciebus omnium obiectorum, manet intellectus tam indifferens ad plura obiecta, quam fuerat sine speciebus; ergo species non habet ex naturâ suâ tollere indifferen-
tiam intellectus.

Respondent nonnulli, manere tunc intel-
ctum indifferenter non quoad speciem, sed
quoad indiuiduum. Sed contra, quia etiam
quoad speciem manet tam indifferens quam an-
tea: tam enim est potens plura specie & genere
diuersa obiecta cognoscere, quam antea; ergo
etiam quoad speciem manet tam indifferens
quam antea.

147 Respondetis Secundò, per quamlibet spe-
ciem determinari intellectum ad vnum obie-
ctum in specie. Sed contra, nulla species est al-
teri contraria, ergo nulla determinat neque quo-
ad speciem. Pater consequentia, quia determi-
nare quoad speciem, est non relinquere poten-
tiam ad actus alterius speciei: sed nulla species
impedit virtutem ad actus alterius speciei, quia
non impedit alias species; ergo nulla determinat
potentiam quoad speciem.

Dices: Qualibet, quantum est ex se, non est
virtus, nisi ad actus vnius speciei; ergo qualibet
determinat, quantum est ex se, ad actus vnius
speciei. Sed contra, quia hoc non est determina-
re, sed complere, quæ duo longè diuersa sunt:
potest enim quis esse completus ad vnam opera-
tionem, & non propterea determinatus ad il-
lam, sed indifferens, & potens etiam ad alias; ne-
que enim, quia cognitio de Petro v. g. non sit
sufficiens ad amorem de Deo, sed solum ad amo-
rem de Petro, ideo potest dici ea cognitio determi-
nare voluntatem ad amorem de Petro in spe-
cie, sed solum præcisè dicetur complere volun-
tatem ad amorem de Petro, relinquendo illam
indifferentem, seu non determinatam. Idem cla-
rius cernitur in cognitione indifferenti, quæ licet
compleat ad amorem, non tamen determinat,
quandoquidem relinquit potentiam ad odium.
Ratio est, quia determinare, ultra hoc quod est
complere, dicit, non relinquere indifferen-
tiam ad aliud; ergo species impressa non propriè de-
terminat ad actus in specie, quantumvis ex
se qualibet species compleat solum potentiam
ad actus vnius speciei. Nec satisfacies, si di-
cas, à te solum intendi nomine determinatio-
nis idem quod nomine complementi: licet enim
in hoc sensu verum sit, potentiam determinari,
id est compleri per speciem, tunc tamen teneris
reddere rationem, cur potentia sit incompleta ad
cognitionem, & consequenter cur egeat specie
complete seu determinante; neque id poteris
deducere ex eo, quod potentia habeat virtutem
cognoscendi plura obiecta, nam hanc etiam ha-
bet positus multis speciebus, & sicut per multas
potest esse completa ad omnia obiecta, & ad
nullam determinata, ita id poterit habere per
seipsam sine speciebus distinctis.

148 Idem clari-
us cernitur in cognitione indifferenti, quæ licet
compleat ad amorem, non tamen determinat,
quandoquidem relinquit potentiam ad odium.
Ratio est, quia determinare, ultra hoc quod est
complere, dicit, non relinquere indifferen-
tiam ad aliud; ergo species impressa non propriè de-
terminat ad actus in specie, quantumvis ex
se qualibet species compleat solum potentiam
ad actus vnius speciei. Nec satisfacies, si di-
cas, à te solum intendi nomine determinatio-
nis idem quod nomine complementi: licet enim
in hoc sensu verum sit, potentiam determinari,
id est compleri per speciem, tunc tamen teneris
reddere rationem, cur potentia sit incompleta ad
cognitionem, & consequenter cur egeat specie
complete seu determinante; neque id poteris
deducere ex eo, quod potentia habeat virtutem
cognoscendi plura obiecta, nam hanc etiam ha-
bet positus multis speciebus, & sicut per multas
potest esse completa ad omnia obiecta, & ad
nullam determinata, ita id poterit habere per
seipsam sine speciebus distinctis.

149 Secundò à priori impugnatur hæc opinio, quia
aliquam causam posse producere plures effectus,
non dicit, esse incompletam ad illos, vt pater in
ipsâ specie, quæ potest esse indifferens ad plures
actus apprehensionis, iudicij, præmissæ, & con-
clusionis, & tamen non est incompleta ad illos:
item vna eademque species potest esse de multis

obiectis, vt ponit communis sententia in Angelis,
quæ species necessariò est indifferens ad multa
obiecta, non tamen incompleta ad illa; item in
voluntate cum cognitione indifferenti, quæ adhuc
est potens ad amandum, vel ad omittendum amo-
rem, & tamen est completa ad illos actus: ergo
quia intellectus possit cognoscere plura obiecta,
non sequitur, eum esse incompletum ad cog-
nitiones eorum obiectorum, sed vt summum, eo
quod sit potentia necessaria, egere aliquo determi-
natio, vt hic & nunc hanc cognitionem huius
obiecti v. g. operetur; hoc autem determinati-
uum non potest esse species, vt probatum est su-
pra (imò et si posset esse, non tamen requireretur,
aliunde enim posset ea determinatio oriri, nempe
ex eo ipso capite, quod hic & nunc in tua senten-
tiâ determinat speciem ad exercitium, nam cum
nequeat fieri exercitium alicuius actus, nisi in ali-
qua specie actus id quod determinat ad exerci-
tium, determinaret etiam ad speciem; ergo
propter solam determinandam potentiam vel ad
speciem vel ad indiuiduum cognitionis, non re-
quiritur species, sed quia verè ipse intellectus est
incompletus ad eos actus. Ex quo inferitur, etiam
si intellectus vel potentia alia cognoscit vnum
posset vnicum obiectum cognoscere, adhuc ta-
men futuras illi necessarias species, quia tunc tam
incompleta esset ea potentia ad vnicum solum
obiectum, sicut nunc est ad plura; sed quale sit
hoc incomplementum, & vnde proueniat, valde
est difficile.

SUBSECTIO QUINTA.

*Non requiritur species, eo quod cognitio
sit imago obiecti.*

150 Aliqui recentiores accuratè rem examinare
cupientes, dicunt, cognitionem esse repæ-
sentationem expressam, & imaginem obiecti: at-
qui imago debet oriri ab eo cuius est imago, ergo
cognitio debet oriri ab obiecto. Consequentia vi-
detur bona. Maior probatur, quia communis de-
finitio imaginis ea est, vt sit expressa ad repæ-
sentandum: sed cognitio est expressa ad repæ-
sentandum obiectum, ergo est imago illius. Mino-
rem etiam probant ex communi acceptione ima-
ginis, quod scilicet debeat produci ab imaginato,
ideo enim Pater æternus non est imago filij, hic
verò è contrario Filius est imago Patris, quia Pa-
ter non producit à Filio, sic verò Filius à Patre.
Vtramque propositionem confirmant multa
D. Augustini, D. Thomæ & Theologorum au-
thoritate. Ex hoc discursu vterius inferunt, in
cognitione reperiri duas formalitates, aliam vira-
litate, & hanc dicunt respondere potentie; aliam
imaginis obiecti, & hanc dicunt non posse esse à
solâ potentia, sed ab obiecto, ideoque ratione huius
requiri concursum obiecti, vel speciei locollis:
vnde concludunt, munus speciei esse, com-
plere potentiam in ordine ad formalitatem ima-
ginis repertam in cognitione. Quam doctrinam
tandem confirmant exemplo filij creati: quan-
tumvis enim mater sit tam perfecta quam filius,
filiave, quia tamen hi sunt imago etiam patris,
non sufficit sola mater ad productionem filij; er-
go similiter, licet potentia sit tam perfecta quam
cognitio, quia tamen hæc est imago obiecti, non
sufficit

sufficiat ad eam sola potentia, sed ulterius requiratur obiecti concursus. Hæc est vno verbo recentiorum sententia, quam ipsi fusè satis explicant, & confirmant: sed omnia quæ pro illâ dicunt, ad præcedentia reuocantur.

Arbitror, in hac sententiâ solum, vt dicitur, fide parentum ductos hos Auctores, nec quid dixerint attentè discussisse, & ni fallor, ab eis manifestè peti principium: quia verò hæc opinio apud nonnullos valdè inualuit, oportet eam efficaciter reicere. Et vt eius falsitas clariùs percipiat, suppono Primò, non esse de ratione cognitionis vt sic, aut repræsentationis formalis vt sic, esse imaginem obiecti. Hoc ab ipsis aduersariis conceditur, & probatur euidenter in cognitione diuinâ de creaturis, imò & de ipso Deo: ea enim cognitio est perfectissima repræsentatio sui obiecti, & tamen non est imago illius, quia imago debet esse aliquid productum à re imaginatâ; illa autem cognitio non est vltimo modo producta. Suppono secundo, vt differat cognitio creaturæ à cognitione increatâ, non esse necessarium vt illa producat ab obiecto, & consequenter nec vt sit illius imago. Hanc probo euidenter; quia ipso quòd cognitio producat à solâ potentia, erit creata, differetque infinitè à Deo. Suppono Tertio, cognitionem nostram per hoc formaliter constitui in ratione imaginis obiecti, non quia sit illius repræsentatio vicinque, nec quia sit in se producta, sed quia sit producta ab ipso obiecto; idè enim Filius æternus, licet non sit Verbum expressiuum Spiritus sancti & creaturarum, & licet in se sit productum, quia tamen non est productum à Spiritu sancto & creaturis, non est imago illorum; ergo esse imaginem obiecti, formalissimè dicit esse similitudinem productam ab obiecto. His ergo positis, non erit difficile ostendere circulum, & petitionem principij ab his Auctoribus in præterita sententiâ commissam, quod sic probo.

Quia in primis hi non possunt persuadere, nostram cognitionem esse imaginem obiecti, ex eo quòd sit repræsentatio obiecti: id constat ex primâ suppositione, alias cognitio diuina, quæ est obiecti repræsentatio, etiam esset illius imago. Sed neque id possunt probare, quia sit repræsentatio creata obiecti: hoc constat ex secundâ & tertiâ suppositione; nam si sit repræsentatio obiecti, & producta à solo intellectu, adhuc erit expressiua obiecti, & in se creata, sicut Verbum diuinum verè est productum & expressiuum creaturarum, non tamen est imago illarum, nec productum ab illis; ergo solum poterunt aduersarij probare, nostram cognitionem esse imaginem obiecti, quia ab illo producit, aut à specie illius. Imò dicere, eam esse imaginem obiecti, nihil est aliud formalissimè, quàm dicere, eam esse repræsentationem obiecti ab ipso aut illius specie productam. Ecce ergo manifestum circulum, & petitionem principij: probant enim, cognitionem debere oriri ab obiecto, quia est imago illius; eam autem esse imaginem, non aliter probant, quàm quia petit procedere ab obiecto.

Confirmatur Primò ad hominem: dum enim hi Auctores agunt de cognitione diuinâ, dicunt, eam non esse imaginem creaturarum, quia non producit ab illis, licet eas repræsentet; postea verò, quando eis obicitur, Cognitio diuina non

producit à creaturis, & tamen est cognitio illarum, ergo neque cognitio creata, quia sit repræsentatio obiecti ab eo producit; respondent huic obiectioni, negando consequentiam, quia cognitio diuina non est imago creaturarum, ideoque non petit ab illis produci, secus nostra cognitio. Ecce duas petitiones principij, vnam exaltatam pullulantem: nam cognitionem diuinam dicunt non esse imaginem, quia non producit ab obiecto quod repræsentat, non verò necessarium esse produci ab illo, quia non est imago illius, quæ est vna petitio principij. Item, cognitionem creaturam dicunt produci debere, quia est imago, & idè esse imaginem, quia produci debet ab obiecto, quæ est secunda petitio principij.

Confirmatur Secundo, quia nos tantum experimur, per cognitionem nobis manifestari obiectum, vnde solum possumus inferre, cognitionem esse repræsentationem illius; verum eam cognitionem vltra hoc habere etiam esse imaginem obiecti, neque experimur, nec ex eo, quòd sit repræsentatio, potest inferri, vt non inferitur in cognitione diuinâ, neque est aliud caput vnde id persuadatur.

Confirmatur Tertio: scientia infusa Christi, id est cognitio supernaturalis per species supernaturales, & per se infusa à Deo, est repræsentatio creata sui obiecti, & tamen non est producta nec mediata nec immediata ab illo, est enim per species per se infusas, id est, quæ non petunt oriri ab obiecto, sed per se infundi à Deo; ergo illa cognitio non est imago obiecti; ergo non est de ratione cognitionis etiam creata, petere oriri ab obiecto, esseve imaginem illius. Vnde ergo probas à priori, nostras cognitiones esse imagines obiecti, seu petere oriri ab illo, quòd idem est?

Respondebis forè Primò huic vltimæ confirmationi, illam scientiam infusam esse etiam imaginem obiecti, quia producit à speciebus productis à Deo loco obiecti. Sed contra Primò, quia obiectum nullo modo producit, nec potest producere illam speciem nec mediata nec immediata, & consequenter neque eam cognitionem; ergo ea cognitio non est imago obiecti. Patet consequentia, quia ad rationem imaginis non sufficit, vt ea sit repræsentatio producta, sed ulterius requiritur, vt sit producta ab eo cuius est imago (vt enim dixi numero 154. Verbum diuinum, licet sit expressiuum Spiritus sancti, & absolute sit productum à Patre, quia tamen non est productum à Spiritu sancto, non est illius imago; ergo ea scientia infusa, cum non producat, neque immediate neque mediata, ab obiecto, sed nec possit produci, non erit illius imago, quantumuis à speciebus infusis à Deo producat. Contra Secundo, quia si sufficeret, vt cognitio esset imago, eam esse productam à speciebus per se oris à Deo; ergo etiam si cognitio oriatur à solâ potentia, poterit esse imago obiecti, quia oritur à potentia per se producta à Deo.

Respondebis Secundo, illam scientiam infusam non esse eiusdem ordinis cum obiecto, quia illa est supernaturalis, obiectum autem naturale, solum verò cognitionem creatam eiusdem ordinis debere esse imaginem illius. Sed contra Primò, quia etiam per scientiam infusam cognosci possunt obiecta eiusdem ordinis, id est supernaturalia; ergo etiam potest dari cognitio creata obiecti

et eiusdem ordinis, quæ tamen non sit illius imago. Consequentia est certa. Antecedens commune omnibus Theologis docentibus, per scientiam infusam etiam cognosci obiecta supernaturalia, imò fortè primò & per se hæc, secundariò
 160 verò naturalia. Contrà Secundò, quia si representatio obiecti potest non esse imago obiecti naturalis, ergo etiam cognitio naturalis, & eiusdem ordinis cum obiecto naturali, poterit non esse imago illius. Patet consequentia, quia, ut sit eiusdem ordinis cum obiecto, non requiritur ut producat ab illo, aut ut sit eius imago, sed sufficit si possit à potentia naturali propriis viribus produci.

Dices Tertio, te probare à posteriori, cognitionem eiusdem ordinis esse imaginem obiecti, quia producit ab illo. Sed contrà Primò, quia (ut paulò antè ostendi ex scientia infusa) non est necessarium, ut scientia eiusdem ordinis cum obiecto sit illius imago, nec potest esse experientia quæ id doceat. Contrà Secundò: probas, esse imaginem, quia producit ab obiecto, ergo non debes probare, idè debere produci quia est imago, committis enim in hoc circulum, dum rationem imaginis probas quia producit, &
 161 produci quia est imago. Contrà Tertio, quia experientia tibi non dicit, cognitionem produci ab obiecto vel ab illius specie, sed præcisè requiri specierum existentiam; unde ergo probas, cognitionem esse imaginem obiecti etiam eiusdem ordinis? Contrà vltimò & efficacius, quia in præsentem non disputamus, utrum cognitio producat de facto ab obiecto, nec ne: sed præcisè hoc supposito, inquirimus rationem à priori, cur debeat produci. Huic autem dubitationi non est respondendū per aliquod principium in quo iam supponatur probata necessitas productionis, sed hæc necessitas debet probari ex aliquo alio principio per se noto, non includente vel supponente probatam necessitatem. Ergo cum imago in cognitione talis constituitur per hoc, quod petat oriri ab obiecto, non debes reddere rationem, cur cognitio sit imago, quia petat oriri ab obiecto; & petere oriri ab obiecto, quia est imago.

162 A priori verò impugnatur tota hæc doctrina, quia cognitio licet sit representatio obiecti, non tamen cum illo physice convenit in prædicatis propriis magis quam conveniat homo cum equo; neque maiorem habet cognitio equi similitudinem physicam cum equo, quam cum intellectu à quo oritur, ergo quia cognitio sit representatio equi, non requirit concursum equi ob formalitatem aliquam in cognitione repertam, & solum correspondentem equo. Imò si ob hanc formalitatem requireretur concursus equi, non sufficeret species impressa ab illo producta, quia hæc non continet prædicata obiecti (species enim accidentalis quomodo continebit prædicata Angelis perfectissimæ substantiæ intellectuæ, capax visionis Dei?) ergo cognitio non requirit concursum speciei vel obiecti propter formalitatem aliquam solum illi obiecto correspondentem. Confirmatur: formalitas imaginis supra formalitatem representationis obiecti, non est aliquid aliud, quam exigentia ut producat ab obiecto quod representat: sed hæc exigentia non est prædicatum aliquod commune repertum & in cognitione, & in obiecto; imò hæc exigentia supponit aliquam formalitatem utrique communem in
 163

quo fundetur, alioquin dicemus, exigentiam productionis fundari in formalitate exigentia, quod est ridiculum; ergo non est probanda necessitas concursus obiecti ad cognitionem ob formalitatem imaginis in cognitione repertam; sed neque ob formalitatem representationis ut sit, ut ex cognitione diuinā ostendi; ergo nihil movet ex quo id possit à priori persuaderi.

Sed neque exemplum, quod afferunt de filio creato numero 152. ad præsentem difficultatem conducit: quia filius creatus, Petrus v. g. non idè producit ab illo Francisco, quia Petrus ex sua essentia sit imago Francisci phæbeatque formalitatem aliquam soli Francisco correspondentem (hic enim Petrus potuit oriri ab alio homine, imò & potuit esse pater Francisci, cuius de facto filius est, quo casu non esset illius imago) ergo non oritur de facto ab eo ob exigentiam & formalitatem aliquam solum Francisco correspondentem, nec quia sit imago illius, sed potius contrariò idè formaliter est imago Francisci, quia ab illo oritur: idè autem ab illo vel alio homine debet oriri, quia, ut dixi in libris de Generatione, semen matris, quia valde humidum, non sufficit ad disponendam materiam; unde necessarium est illud iuvare semine maris calido & sicco: ex hoc autem quid potest ad præsentem difficultatem de cognitione & imagine deduci?

Dices: Rectè potest probari à posteriori, ex eo, quod cognitio de facto procedat ab obiecto, cum esse imaginem obiecti; & postea à priori ex eo, quod sit imago, probari etiam, debere oriri ab obiecto: sicut ex eo quod homo discit, probatur à posteriori, cum esse rationalem; ex eo autem, quod sit rationalis, probatur à priori, cum posse discere. Ratio huius est, quia duo possunt inuicem probari à priori & à posteriori, ut causa per effectum, & hic per causam; ergo non committitur vitiosus circulus in supra posito discursu. Sed contrà Primò, quia licet existentia effectus possit probari ex causa à priori, ut in exemplo posito de rationalitate hominis; non potest tamen reddi pro ratione à priori, cur effectus exigat eam causam quod debeat oriri ab illa: nam debere oriri ab illa, & eam exigere, est idem diversis vocibus. Probanda ergo est ea exigentia ex formalitate aliqua reperta in effectu, & quæ solum possit omni causæ respondere: hæc autem formalitas non debet esse ipsa exigentia; nam huius quarimus rationem à priori: atqui (ut dixi numero 163.) formalitas imaginis solum dicit supra representationem existentiam oriundi ab obiecto; ergo quando quaritur ratio à priori, cur cognitio habeat hanc exigentiam, non debet responderi, quia est in cognitione formalitas imaginis, hoc enim est dicere, quia est in cognitione formalitas existentia. Contrà Secundò, quia exigere oriri ab obiecto, non est effectus imaginis, imò est quasi illius definitio, & imago quali definitum; sicut posse discere, est definitio discursivi: ergo, sicut non potest reddi pro ratione à priori, cur Petrus possit discere, quia est discursivus, nec quare non repugnet, quia est possibilis; ita nec poterit dici à priori, idè cognitionem exigere obiectum, quia est illius imago. Et ut petimus rationem à priori cur cognitio exigat obiectum

iecti concursus, quare etiam cur sit imago; huius autem rationem certum est non posse eam reddi, quia est imago; ergo ab his Auctoribus nulla à priori conclusionis redditur ratio.

Illo autem eodem exemplo, quod hi pro se afferunt de rationali, eos tandem conuincio: nam vltima probatio, in qua sistimus, vt dicamus Petrum v.g. posse discurre, non est quia sit rationalis, aut quia possit discurre, sed quia videmus vel audimus eum discurrentem: hoc autem amplius non probamus, est enim per se notum; ergo, vt dicamus cognitionem esse imaginem, seu petere oriri ab obiecto, debemus venire ad principium aliquod per se notum, seu experientiam; hanc autem non habemus in omni cognitione, vt probauimus. deinde, etiam si in omni esset, tunc deberemus dicere, quia ita de facto contingit, vnde inferimus naturæ illius hanc esse annexam, & dependentiam, recurrere autem ad eas imagines est ad imaginationes sine fundamento confugere.

SUBSECTIO SEXTA.

Quid in hac questione dicendum.

168 SPECIES requiri ad cognitionem, efficaciter videtur ostendi à posteriori experientia. Sect. 1. adductis. A priori autem vix vllam inuenio rationem. Ea mihi occurrit (valeat quantum possit) quia licet cognitio non sit similis physice obiecto in prædicatis illius, omnia tamen illa explicat ac repræsentat; cumque potentia, v.g. intellectus noster, imprimis non contineat in se eas formalitates obiecti, & aliunde obiectum sit illi quasi occultum, videtur necessarium, vt possit intellectus producere cognitionem, dicentem omnes formalitates obiecti, cum iuuari vel ab obiecto ipso, vel ab aliquo substituto, in quo quasi in semine hæ formalitates contineantur: hoc autem est species impressa. Quod cognitio repræsentet & manifestet intellectui formalitates & prædicata obiecti, vel plura, vel pauciora, prout fuerit cognitio & species, est certius, quam probatione indigeat. Quod verò intellectus non necessariò eas formalitates contineat, probatur clarè: nam intellectus non continet albedinem, colorem, elementa, &c. ergo intellectus non potest ex se solo eas dicere formalitates; ergo eget concursu ipsius obiecti, vt possit per cognitionem eas manifestare.

169 Dices Primò: Etiam cognitio Dei manifestat omnes formalitates obiecti, & tamen non produciunt ab illo; ergo non requiritur vt manifestatio obiecti ab ipso obiecto producat. Respondent huic obiectioni Auctores suprà impugnati, negando consequentiam, eò quod cognitio Dei non fit imago creaturatum. Sed absit à me hæc responsio, & quia in eà circulum committi, iam ostendi à num. 155. & quia non probo à priori necessitatem oriundi ab obiecto, ex eo quod cognitio sit illius imago; imò potius nunc reddo rationem à priori, cur cognitio creata debeat esse imago obiecti. Melius ergo ad rem præsentem respondeo, cognitionem diuinam non indigere obiecti adiutorio: quia, cum Deus contineat in se omnes creaturarum perfectiones eminentiori modo, ideoque possit eas producere etiam solus, non est necessarium ad hoc, vt per cognitionem eas exprimat & manifestet, cum ab alio extrinseco iuuari; cum

autem intellectus eas non contineat (vt est per se notum) oportuit vt hic iuuaretur ab obiecto, non verò Deus, ad explicandas eas formalitates.

Sed vrgebis adhuc contra hanc solutionem: 170 Deus etiam cognoscit malitiam peccati, & repræsentat illam, non tamen eam continet; ergo, vt repræsentet obiectum, non est necessarium vt vel illud contineat, vel iuuetur ab ipso obiecto eiusve specie. Pro solutione aduerte, etiam si malitia non sit perfectio, sed potius summa imperfectio, cognitionem tamen malitiæ, item eius speciem impressam, perfectionem dicere. Deus ergo, licet non contineat malitiam peccati, continet tamen eius speciem impressam, consequenterque rectè potest sine peccati concursu illud cognoscere.

Dices Secundò: Scientia infusa est repræsentatio obiecti, & tamen non fit ab obiecto; ergo, &c. 171 Respondeo, eam scientiam infusam fieri per species infusas, quæ licet non producantur ab obiecto, adhuc tamen æquivalent speciebus ab obiecto productis; producuntur enim à Deo vt causâ speciali illarum, Deus autem cum perfectissimè contineat obiectum illarum, rectè potest dari illis speciebus totum quod illis daret obiectum, si eas produceret; quare sufficienter, imò perfectius per illas species completur intellectus ad producendam manifestationem obiecti, quàm si immediatè ab ipso obiecto eas accepisset.

Sed rogabis, vtrum hæc cognitio infusa sit obiecti imago. Respondeo, cognitionem omnem, quæ non fit mediatè vel immediatè ab obiecto, (qualis hæc est) item & cognitionem effectus in causâ, licet fiat aliquo modo à specie, non tamen esse propriè obiecti imaginem, quia imago debet fieri ab ipso cuius est, iuxta dicta suprà, quare non potest reddi pro ratione dependentiæ cognitionis à specie ratio imaginis, quia hæc non reperitur in omnibus cognitionibus, etiam dependentibus à specie, neque e contrario dependentia à specie pro ratione imaginis; solum ergo reddenda est ratio repræsentationis creatæ formalitatum obiecti pro ratione dependentiæ, vel ab obiecto, vel à specie impressâ, siue hæc ab obiecto, siue à solo Deo, siue per discursum acquisita sit.

Ex his inferes Primò, solam potentiam, consideratâ præcisè eius virtute, non esse adæquatè productiuam cognitionis, & consequenter in hoc sensu non esse adæquatè cognoscitiuam, licet, quatenus ipsa sola, non verò species cognoscit, adæquatè cognoscitiua dici debeat. 173

Inferes Secundò, ipsam potentiam non continere adæquatè ipsam formalitatem cognitionis: quia licet potentia visiva, v.g. ex se sit determinata ad videndum, & ita visio adæquatè illi videatur respondere, in tantum tamen est determinata ad videndum, in quantum est determinata ad se coniungendum cum specie visivâ, & simul cum hac ad producendam visionem; quare visio vtrique partialiter correspondet.

Inferes Tertio, cur species, non verò potentia dicatur virtualis repræsentatio obiecti, cum etiam potentia concurrat ad efficiendam repræsentationem formalem, id est, cognitionem obiecti: inferes, inquam, rationem esse, quia species concurrat, quasi faciendo præsentem potentia obiecti essentiam, vt possit eam per cognitionem explicare, vnde ea repræsentatio specialius tribuitur speciei, quàm potentia.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Possibilis est substantia non indigens Speciebus distinctis.

174 **I**NFERO Quartò, possibile esse de potentia absolute solutâ potentiam aliquam cognoscitivam sine specie impressâ distinctâ. Probatur ex dictis: non est necessarium, cognitionem oriri ab obiecto immediatè, neque à specie ab ipsâ productâ, sufficit enim, si oriatur à speciebus à Deo productis: atqui non repugnat, produci à Deo potentiam aliquam adeo perfectam, quæ sola contineat simul perfectionem nostri intellectus, & perfectionem specierum insularum à Deo (quæ enim in hoc potest relucere contradictio?) ergo non repugnat potentia cognoscitiva sine speciebus à se distinctis. Confirmatur: si ob aliquid repugnaret, maximè quia omnis cognitio esset imago obiecti, deberetque ab illo mediatè vel immediatè oriri; sed hæc ratio est nulla (vt constat ex dictis) ergo non repugnat.

175 **A**duerte tamen, illam potentiam esse virtualiter quasi duas causas, quia & æquivaleret potentia, & etiam speciei, sicut de facto intellectus Angeli seipsum sine mediâ specie cognoscit. P. Suarez Tomo de Angelis lib. 2. cap. 3. opinatur, necessitatem specierum tantam esse, vt repugnet etiam diuinitus substantia non indigens speciebus distinctis ad cognitionem aliorum obiectorum, quæ in ipsâ non continentur. Dico, quæ non continentur in ipsâ; nam quæ continentur in ipsâ, concedit posse ab illâ in se cognosci. Mouetur, quia ad cognitionem requiritur influxus obiecti per se vel per speciem, iuxta illud, *Ab obiecto & potentia paritur notitia*; ergo substantia quæcumque intellectiva creata debet ad cognitionem habere concursus obiecti, sed hunc per seipsum nequit habere, quia non potest esse speciei aliorum infinitorum, aliâs esset infinita in perfectione. Confirmatur à simili in Deo, qui, etiam vt cognoscat omnes creaturas, debet continere perfectionem illarum, & esse infinita perfectionis. Huius argumenti bene vidit Suarez facilem esse solutionem, scilicet, speciem etiam de infinitis obiectis non debere esse infinita perfectionis, quia contentia obiecti, quæ requiritur in specie, est valde imperfecta; vnde vna species accidentaliter potest esse representatiua multarum & infinitarum substantiarum quæ sunt valde perfectæ. & de facto ita esse, probabile censet ipse Suarez in aliquibus Angelis, qui per vnicam speciem impressam omnia creata possunt cognoscere. Vnde vltius fit, vt si esset aliqua substantia, quæ contineret in se perfectionem huius speciei impressæ, nullo modo requireretur, eam esse infinitam. Ideo vrget argumentum, & impugnat solutionem, quia contentia per modum speciei impressæ repugnat substantia quæ valde est perfecta; repugnat enim eius nobilitati, fieri vicariam aliorum obiectorum inferiorum, ergo per modum speciei nequit illa substantia esse representatiua aliorum obiectorum, & consequenter deberet esse infinita.

176 **H**æc impugnatio omnino displicet, nec fundamentum habet solidum, nisi in voce vicarij vel substituti. Rogo enim ipsum P. Suarez, an species

supernaturalis per se infusa, quam habet Christus Dominus de infimo accidenti materiali, v.g. de vicatione scatebei, an, inquam, talis species ita perfecta & supernaturalis sit vicaria illius vicationis, an non. Si non est, ergo non omnis species impressa est vicaria & substituta obiecti; ergo etiam illa substantia simul esset species impressa, non foret necessarii vicaria & substituta obiectorum. Si verò dicat esse vicariam, iam debet explicare, qui fieri possit, vt res perfecta & supernaturalis in substantia ita possit humiliari, vt fiat vicaria rei imperfectæ, scilicet accidentis materialis & hoc si illi non repugnat, etiam ego dicam, non repugnare substantia illi, quantumvis perfectæ, ergo hæc ratio desumpta ex voce vicarij vel substituti, nulla est in re.

Propter hoc ergo non est negandum, posse esse vnam substantiam, quæ simul sit species impressa omnium obiectorum, quia neque illa esset infinita, contentia enim per modum speciei est valde imperfecta, nec inferens infinitatem, vt omnes fatentur; neque esset propriè vicaria obiectorum, quia non produceretur ab illis in hunc finem, nec haberet delegatam ab eis potestatem, sed propriam, & independentem ab illis; imò ipsum Deum continere perfectionem speciei impressæ respectu omnium creaturarum, duci in materiâ de scientiâ Dei, ideoque posse ipsum Deum in se, non solum vt in causâ continente creaturas, eas mediatè cognoscere, sed etiam immediatè in seipsis determinatâ suam substantiâ per modum speciei sine vllâ imperfectione cognoscere. Dixi, non esset propriè vicarius vel substitutus, nam impropriè, quatenus significat virtutem faciendi idem quod præstaret obiectum si esset præsens, & proportionatum in hoc sensu, libenter admitto, eam substantiam futuram vicariam obiectorum. Sed hoc nullam dicit imperfectionem, sed potius perfectionem simpliciter simplicem: posse enim producere effectum, quem potest alia causa, est perfectio simpliciter simplex; non ergo est, vnde negetur in hoc sensu illi substantia, imò & Deo ratio vicarij & substituti.

Obijcies Primò: Illa substantia esset cognoscitiva & non esset cognoscitiva futurorum: cognoscitiva, quia haberet species illorum; non cognoscitiva, quia esset creatura, cui videtur repugnare scientia de futuris, iuxta illud Isaie: *Annuntiate nobis quæ ventura sunt, & dicemus quia Dixeritis vos*. Respondeo Primò, hoc argumentum non habere contra me maiorem vim, quàm contra communem sententiam, docentem, Angelis deberi à primo instanti suæ creationis species futurorum, etiam si ea nō possint cognoscere. Quod ergo illi de speciebus dixerint, dicam ego de ipsâ substantiâ. Si dixerint, species illas non posse de illis obiectis cognitionem producere, donec obiecta existant; idem dicam de eâ substantiâ. Vt autem melius respondeam, eò quod ego docuerim in materiâ de Angelis, tales species, si darentur, producturas, etiam antequam obiectum existeret, cognitionem de illo; dico iam, illam substantiam fortè non futuram speciem, nisi de obiectis necessarijs, id est de possibilitate creaturarum, quæ cognitio proculdubio non repugnat creature. Non autem futuram speciem futitionis vt talis, patet: si enim illa esset species de futuris vt talibus, repugnet illi existere, nisi quando illa essent.

SECTIO IV.

Quæ sit Specierum causa.

De causâ finali specierum dictum est, eam ordinari ad cognitionem efficiendam: de causâ formali nihil occurrit dicendum, ipsæ enim non informantur nisi ab vicatione & duratione, sicut quælibet alia res creata; sunt autem potius formæ accidentales, solum ergo restat causâ materialis & effectiua.

SUBSECTIO PRIMA.

Quæ sit causa materialis Specierum.

PRIMA CONCLUSIO. Species spirituales in solâ animâ rationali recipiuntur. Hæc est certa; quia, ut sæpè dixi, nihil spirituale potest in subiecto materiali etiam partialiter recipi; sed in homine, præter animum rationalem, non est aliud subiectum spirituale, in quo possint recipi species; ergo in solâ animâ rationali recipiuntur. Hæc intellige in nostrâ sententiâ, negante potentias distinctas: nam si distinguantur, probabile est eas recipi in solo intellectu, quia in illo debent propria cognitionis instrumenta recipi, & in voluntate instrumenta volitionis. Nihilominus probabilius est, etiam tunc in animâ recipi, eò quod anima etiam tunc deberet immediatè concurrere ad cognitionem, & determinari per species, quod præcipuè locum habet in ordine ad habitus voluntatis, qui cum concurrant in genere causæ formalis, inclinando voluntatem, anima autem sit quæ inclinatur, non verò potentia distincta, debet habitus in animâ recipi, non in potentia. Quod etiam suo modo locum habet in speciebus respectu intellectus, licet non ita, eò quod non concurrant formaliter.

SECUNDA CONCLUSIO. Species materiales sensuum externorum tam in homine quàm in brutis in solâ materiâ primâ recipiuntur. Hanc probo apertè, quia illæ species sunt eiusdem rationis cum his, quæ per aërem vel crystallum producantur: sed hæ in solâ materiâ, & non in formâ aëris aut crystalli recipiuntur, ut omnes fatentur; ergo etiam in ipsâ pupillâ solum recipiuntur in materiâ. Patet consequentia, quia neque materia pupillæ est infirmior materiâ aëris, neque species pupillæ sunt diuersæ; cur ergo, sicut in aëre à solâ materiâ conseruantur, non etiam in oculo? Confirmatur: etiam abscedente animâ quoties pupilla oculi remanet diaphana, retinet species visus (si enim hæ in crystallo non viuâ, quia diaphana, recipiuntur, cur non recipiuntur etiam in pupillâ diaphanâ, et si non viuâ? ergo species visus, adhuc ibi existente animâ, in solâ pupillæ materie recipiebantur. Hæc consequentia est bona ex dictis in Phisicis, ubi ostendimus, accidentia, quæ remanent in corrupto, non subiectata fuisse in toto composito, quia non possunt transire de subiecto in subiectum; dicere autem ea mutata fuisse in alia solo numero distincta, omnino est improbabile.

Dices: Species sunt instrumentum animæ ad cognoscendum, ergo debent in illâ recipi. Hoc argumento mouentur nonnulli recentiores ad

Nnn 3

oppo-

essent futura; cumque multa non possent esse simul futura, ea scilicet quæ inter se repugnant, ut odium & amor in eodem subiecto, eodemque tempore, non posset illa creatura villo tempore produci, quod est implicatorium; aut certè solum posset produci, quando esset futurus actus ille cuius ipsa esset species, si existeret; esset autem species futurationis & non futurationis, quia vtrumque absolutè est possibile, & illa repræsentat totum possibile, ut supponimus; ergo non est concedendum, eam esse speciem futurationis.

Tertiò & melius posset dici ex nostris principiis, scientiâ de futuratione ex parte obiecti idem omnino cognoscere, quod scientia simplicis intelligentiæ; solum hanc esse differentiam, quod vna cognitio dicitur *si esset*, altera *est*: vnde videtur inferri, totam eam differentiam esse ex parte modi, ac propterea non requiri diuersas species, sed vnam eandemque sufficere pro vtrâque cognitione; quod possit illam substantiam esse speciem omnium determinari verò ad habendam cognitionem, quæ dicatur *erit*, aut quæ dicatur *non erit*, non ab specie, sed à Deo, & aliunde, per quod tamen non nego, possibiles esse aliquas species, quæ naturâ suâ dicantur *erit* vel *est*, & tales negavi in Angelis, antequam obiectum existeret, ne cognoscerent futura, & talem etiam negavi futuram à semetipsâ istam substantiam, de quâ iam disputamus.

Quartò tandem posset dici, illam esse speciem conditionatam de futuratione, v.g. peccati Petri si hoc futurum est; & ab hac conditione extrinsecâ pendere, ut sit absoluta species eius futurationis: vnde nec sequeretur, illam simul repræsentaturam contradictorium, nec pendere, ut existeret, à rebus contradictoriis. Hæc solutio non facile impugnari potest: quia tamè ego sæpè potentias & continentiam conditionatam in creaturis reieci, priores solutiones approbo, hanc secundam in finem pro his qui in aliis rebus per has virtutes conditionatas discurrunt.

Obiicies Secundò: Si illa substantia seipsa esset species omnium, illa esset cognoscitiua omnium obiectorum, & posset naturaliter solum ea cognoscere, quod videtur excedere capacitatem creaturæ. Respondeo; à me alibi ostensum, posse cognitionem vnam creatam esse simul cognitionem de omnibus obiectis possibiliibus, neque inde inferri in eâ infinitam perfectionem; ergo posset illa substantia cum illis speciebus talem cognitionem elicere. Secundò respondeo, non sequi ex eo, quod esset species omnium, futuram etiam cognoscitiuam omnium simul; poterat enim habere virtutem ad omnia diuisiue, non tamen collectiue, ut de speciebus Angelicis communiter docetur. Tertiò huic & præcedenti obiectioni respondeo, eis summum probari, non posse esse creaturam quæ esset species omnium rerum, nullatenus tamen ostendi, non posse esse speciem multarum, prout in conclusione præcipuâ diximus, & de quo in præsentî propriè disputatur, etiam si addiderim ego secundam illam partem, scilicet, nec repugnare, ut sit species omnium possibile.